AMPHITHEATRUM MEDICUM, *POËMA.*

PRO SOLEMNI RESTAURATI Amphitheatri Medici inauguratione.

Ab ANTONIO LE CAMUS, *Doctore Medico Regente Parisiensi.*



PARISIIS,
Apud QUILLAU, Bibliopolam & Typographum Universitatis & Facultatis Medicinæ Juratum, viâ vulgò dictâ *Galande*, propè Vicum Stramineum, sub Signo Annuntiationis.

M. DCC. XLV.



SALUBERRIMO, CELEBERRIMOQUE

MEDICORUM PARISIENSIUM

ORDINI,

POËMATIS DEDICATIO.



COMMUNEM *immenſo Thetidos ſpumantis ab alveo*
Mille modis ortum flumina quæque trahunt.
Sic vectigales Thetidos communis ad alveum
Undarum fluctus flumina quæque ferunt.
Quamvis flammivomo cœli vibrentur ab axe
In terras humiles tela triſulca jovis:
Attamen ignito erumpens per inane volatu,
Illapſum fulmen ſydera rursùs adit.
Omnibus illa fuit fato ſancita ſupremo

Lex, ut ſit finis, quod modò cauſa fuit.
Hanc ego tranſgrediar legem malè degener, ortûs
Si poſſim ſolus non meminiſſe mei.
Contiades *potiùs reverebitur arma ſabandi*,
Hoſtibus & Lodoix *terga pudenda dabit*,
Ante dabunt dominis leges & jura miniſtri,
Quam mea tam turpi crimine corda notem.
Quæ Medicinali ſplendeſcit in orbe palæſtra
Materno geſſit me pariſina ſinu.
Nec ſatis eſt doctas mentem formaſſe per artes,
Addidit & capiti nobile blanda decus.
Nunc ergò accipiat ſinceri pignus amoris.
Tuta ſub auſpicio ſit mea muſa ſuo.
Queis fœcundo lucem dat viſcere partu
Educit natos, & ſtudioſa fovet.
Non aliter pullos criſtati femina galli,
Alarum expanſo tegmine, cauta tegit.
Sint conficta licet; non ſunt deliria mentis
Carmina: ſub falſo cortice vera latent.
Hæc tantùm placeant; votorum hæc ſumma meorum:
Tantis quanta mihi laus placuiſſe viris.

LE CAMUS.

PRÆFATIO.

VIx centum annos renovaverat Sol, cùm Roma & Athenæ tùm Panegyricis orationibus, tùm pindaricis cantibus personarent, & præclarè gestorum vel proximè elapsum sæculum, vel retroacta tempora illustrantium memoriam refricare imperarent. Simili datâ occasione, cur ergò Medicinæ, quæ cum humanitate, & doctrinâ magnum habet commercium, quæque viros omnibus studiorum liberalium artibus excultos producit, Isocratico, Virgilianóque more exultare haud liceret?


Restaurati Amphitheatri celebranda solemnia jure ac merito seculares ludos appellaveris. Hinc quoties resurgit hæc festa dies, toties ut clarius nitescat, & saluberrimam facultatem novo splendore collustret, quisque symbolum afferre debet. Non mirum igitur si ad Poëma scribendum me impulerint juvenilis ardor, & ergà saluberrimum Medicorum Parisiensium ordinem sincera pietas. Insuper multis illustratur Lutetia viris

qui cùm musis plurimùm se delectant: itaque in communi gaudio non omittenda tantæ urbis tam bona pars.

Quidquid sit, lycæum propriis Medicorum sumptibus restauratum æternam exigit memoriam. Publica beneficia monumento aliquo firmioribus saxis firmiore immortalitati consecrari debent. Jure ergò ac merito illud opus de Amphitheatro Medico conscribere suscepi. Utinàm rem ex sententiâ gesserim! Attamen hoc opus in publicam oblectationem, utilitatémque natum, mihi luctuosum non fore confido.







AMPHITHEATRUM
MEDICUM,
POËMA.

ORTÈ mihi nuper purgatam Cynthius aurem
Vellit, & aonium celeri pede ſcando cacumen.
Nempè putat medicos vulgi pars maxima, curru
Precipiti ſemper ferri debere per urbes,
Nec ſibi fas ſacros Parnaſſi inviſere fontes.
At mihi præruptum montem ſuperaſſe fatenti
Non pudor eſt: quid enim phœbum inviſiſſe puderet?
Et fuit inventor Medicinæ, & carminis auctor.
Quem Medicina ſuo lacte ad miracula finxit,

Hunc decet, alterno juſtæ pietatis honore,
Ad patrium rursùs Medicinam ducere cœlum.
Huic arti verè ſtuduit, qui prædicat illam.
Ille ſuæ ſtuduit famæ, qui fortiter audax
Inſignes titulos artíque, ſibíque paravit,
Inſanas ergò vanis ſermonibus aures
Impleat invidioſa cohors: ego præpete curſu,
Sponte peto doctas intactæ Aganippidos undas.
Et jam fatiferæ recubans ſub tegmine lauri,
Hippocratis nomen tenui modulabar avenâ,
Nomen in æterno Medicis adamante notandum.
Neſcio quis noſtras ſonitus levis impulit aures:
Auribus arrectis adſto, tùm murmura vocis
Accipio, ardentes oculos circumundique verto.
Ecce levi plantâ procedit turba dearum,
Illa videbatur duplici diviſa phalange.
Artis dedaleæ præſes, quam nomine Græci
ΑΡΧΗΝ ΤΕΚΤΟΝΙΚΗΝ τέχνην (a) dixere, priori
Imperat ambitioſa choro, quam ponè ſequuntur
Optica, ſpirantes animans ſculptura figuras,
Æmula naturæ rerum Pictura, labore
Diſponens ſimili gratas ſymmetria formas,
Ordinibuſque locans illas Eurithmia certis,

(a) Vid. not. 1.

Candida

Candida prudentis graphidos doctrina, ſevera
Diva Geometræ, Ποσότης (*b*), Algebráque, τάξις que (*c*).
Exindè à dextrâ veniunt ad penſa ſorores.
Hæc planâ deſcripta viâ compendia rerum
Dirigit (*d*): attollit ſublimes altera vultus (*e*):
Tertia, prudenti mixturâ lucis, & umbræ,
Juncta ſimul monſtrat fugitivo tramite membra,
Totáque ſpectantes uno quaſi percutit ictu (*f*).
Ad lævam incedunt partem ſcamozzius, acer
Vitruvius, Labaco, Vignollius, atque Philander,
Palladio, Magius, Derran, Avilertus, & ipſe
Blondelius frontem lauro Parnaſſide cinctus.
Intereà egregiæ properans Medicina catervæ
Obvia procedit, cultu diverſa ſuperbo
Divarum ſeries illam comitatur euntem.
Immites frænans morbos vicina renidet
Firma valetudo: titubanti poplite tentat
Inſtare horribili macie correpta diæta.
Pharmaciam docili ſequitur Chirurgia paſſu.
Innumeris graditur redimita Botanica plantis.
Oſſa ſepulchralis tenet Anerotechnia (*g*). Fulgens

(*b*) Vid. not. 2.
(*c*) Vid. not. 3.
(*d*) Ichnographia. Vid. Vitruvium lib. 1. cap. 2.
(*e*) Ortographia.
(*f*) Scenographia vel Sciographia. Vid. not. 4.
(*g*) Vid. not. 5.

Luce metallorum ſuſtentat chymia ſceptrum.
Quos Medicinalis, populo plaudente, palæſtra
Alma Pariſiacis quondam nutrivit in oris,
Hunc cœtum decorant. Emeris, Duretus, Hunaldus,
Tempore Fernelius major, Ballonius expers
Temporis; Hollerius, Godefredus, Sylva, Tagautus,
Ante alios longè cœlo capita ardua tollunt.
Vix ambæ ſeſe ſimul offendêre cohortes:
Cum divam tecti artificem Medicina ſalutat,
Et vultum demiſſa, prior ſic ore profatur.
Gens Pariſina pios nobis perſolvit honores:
At videt (infandum) populoſa Lutetia noſtri
Annorum ſerie nutantia mœnia templi.
Si collapſa ruant, caſum quoque noſtra minatur
Gloria; nam nitidâ trahitur plebs credula veſte.
Si fuerint æquata ſolo, delebitur ipſum
Nomen; námque movent ſtupidum præſentia vulgus.
Quid! templis careo: templi niſi nomine adornem
Semiruti jam jam tecti deforme cadaver.
Nuper adoratam quis non contempſerit artem?
Atque aras humiles ſolito fraudarit honore?
O ſuperi! ô fati non inficianda poteſtas!
Ergonè quæ cunctis dederit vixiſſe peribit.

Túque domos ſtatuens ingenti molè ſuperbas
O dea! conſpiciès ſicco mea lumine damna.
Eia age, rumpe moras, nobis fer dulce levamen.
Mortali quoddam divinum eſt eſſe ſecundum:
Aſt immortali quid majus tendere dextram?
Me piget hic, quidquid debes mihi, voce referre.
Nonnè columellas humani corporis acri
Dexteritate refers, pectus, faciemque, caputque;
Sicque tuo totam fingis, formaſque labore
Compagem humanam, ut veniat tibi nulla venuſtas,
Ni juſtis quædam modulis concordia regnet
Inter & humanos artus, & membra domorum.
Sed mihi nullo obſtante & non conſortibus ullis
Pertinet humanum corpus, ſeu corde miniſtro
Recta valetudo robuſtos excitet artus,
Seu vitiata gerat morbi cruciatibus oſſa.
Ergò poteſtatis noſtræ decreta faceſſe.
Nonnè meum multis in partibus ipſa repoſcis
Conſilium. Quoties docui diverſa domorum
Climata; ſeu quoties cœnoſa miaſmata terræ,
Undarumvè procul tectorum à limite truſi?
Dulce miniſterium fateor, ſed dulcius eſſet
Conſilii ſi jus hodiè perſolvere velles.
Præterea quales, divûm plaudente coronâ,

Heroas nuper genui tibi. Primus amicâ
Te coluit curâ, atque auro melioribus auxit
Divitiis, clarus doctrinæ laude ſavotus (*h*).
Alter in antiquo deſudans codice, priſcos,
Graïarum potuit charitum revocare lepores
Deletúmque tibi latiarum afferre decorem.
Vitruvium jactas, debes jactare Peraltum (*i*).
Te mea commoveant igitur mala, téque recepta
Propitiam faciant miſerandæ munera divæ.
Vix dea finierat, cum longa ſilentia rumpens
Ædificandi artis ſuprema potentia, dixit.
Pectore ſolve metum, mordaces abjice curas,
Diva, tuum nomen, cultus, laudeſque manebunt.
Triſtia me tangunt tua damna, meámque tuorum
Non ſubiere etiam donorum oblivia mentem.
Verùm quid proſint ſenſus; niſi nobilis ardor
Deleat adverſos caſus, reparetque ruinas.
Grandia quæ poſſim noſcis. Quot quantavè quondam
Ad decus aut commune bonum miracula feci!
Cur ego commemorem priſca Amphitheatra Quiritum,
Templavè Græcorum, ſpatioſa palatia, circos.
Ambitus immenſo non me deterruit orbe,

(*h*) Vid. not. 6.
(*i*) Vid. not. 7.

Humanæ mentis vim ſic ſuperabat eorum
Splendor inauditus, ſpectans ut crederet ætas
Mendaci ſomno ludi. Quâ propter inanes
Abſterge lacrymas, ô tu cui cura medendi eſt.
Fert animus delubra tibi ſacrare ſuperba;
Et tanta exiguo in ſpatio miracula condam.
Nulla mora eſt. Graphium dextrâ, chartámque ſiniſtrâ
Accipit, archetypúmque ſacræ delineat ædis.
Protinus artifices circumſpicit, imperat; adſtant.
Incumbunt operi, certántque laboribus omnes.
Hi dubiam fodiunt terram, duróque ligone
Ad ſolidum vergunt: illi alvo & crure reflexo
Immanes verſant magno cum robore palas.
Suſtinet ingentes dorſo pars altera ſportas:
Pars, unâ volvente rotâ, vehit altera terram.
Nullus iners tanto in numero, nec inutilis ullus.
Sic, nobis ſi magna licet componere parvis,
Cum felix regnat blandi clementia veris
Contemplamur apes. Inſidunt floribus illæ,
Conficiunt iſtæ ceras, mucronibus arcent
Vecordes fucos, aliæ fragrantia mella
Sollicitæ ſtipant, collecto glutine fœtæ
Defigunt aliæ tenues in pumice cellas.

Provida ſedulitas ſtimulos vel ſegnibus addit.
Quænam oculis rerum ſpectacula mira parantur?
Saxa ſcabra Arvernus jam jam lapicida reformat:
At doctis Gallus digitis, oculóque ſagaci
Perpolit exculta, & ſcalpellis lævibus ornat.
Parte aliâ durus largis operarius undis
Sulphureæ calcis flammas extinguit inertes.
Ex humeris ſitulas pendentes alter utrinque
Tollit, & æquoreos latices optantibus offert.
Hic gypſum ſubigit, geminatis ictibus illud
Verberat; hic raro ſuccernit fragmina cribro.
Cogitat inſolitas opifex lignarius artes,
Materiaturam expendit, jungitque tigilla.
Stridentis ſerræ jam ferreus inſonat horror,
Malleus, erodens ſcalprum, verténſque terebra
Dant varios ſonitus: ſic inclamantibus idem
In ſylvis reſonat ſtridor, cùm frigore primo
Robora franguntur validâ percuſſa ſecuri.
Accingunt operi ſtructores, trulláque ſplendet.
Fundamenta brevi artifices firmiſſima ponunt.
Undique fervet opus ſtudio certatur eodem,
Aſpiceres ſenſim cœlo conſurgere templum.
Illa ferè juſto moles comprenditur orbe.
Ad latera incurvo proceſſus fornice pulchri

Fulgenti ornantur vitro. Sinuantur in arcum
Concamerata gravis plumbo faſtigia tecti;
It cœlo Tholus, & tecto ſupereminet; unco
Dente ferox ventis verſatur celſior anguis.
Dorica frons ædis Græcorum attollitur uſu,
Septeníque gradus ſpatioſa ad limina ducunt.
Æquali modulo hinc atque indè paraſtata ſurgit.
Nobilis aſpectu vertex, formâque trigonâ
Suſtinet ingentes ſtatuas. Prudentia dextrâ
Læve gerens ſpeculum dextros decumbit in artus.
Parte aliâ ſerpente minax, cubitóque reflexus
Membra ſiniſtra cubat phæbo, atque coronide natus(*k*).
Curvatum in medio ſcutum ſtat. Solis imago
Vitales ſpargit radios, certámque ſalutem
Urbi promittit, toti promittit & orbi.
Dein lauri ramis armata ciconia, partem
Occupat extremam ſcuti, quia ſcilicet illa
Ut diris hoſtili animo eſt inviſa colubris,
Haud ſecùs infandos arcet Medicina dolores.
Omnia reſpirant, rident, atque arte magiſtrâ
Cælantur. Strident ærato cardine valvæ,
Quadratóquè alti poſtes panduntur hiatu.
Hæc videt exultans Medicina, ſtupétque videndo.

(*k*) Æſculapius, Medicinæ Deus cultus Epidauri in ſpecie ſerpentis ſeu draconis. Vid. Ovidium Metamorph. lib. 15.

Interiora novi exoptat penetralia templi
Sollicitis luſtrare oculis, eadémque cupido
Mirantes urget ſocias, natáſque perurit.
Aſt ardore pari propero ſtimulatus, & altis
Intentæ ad gyros tento me condere turbæ.
Intrate, & ſpectate deæ, doctiſſima dixit
Tectorum præſes. quorſum Medicina moraris?
Hæc tua ſunt, inibíque tuum compone tribunal.
Incautis ſemper præſens mortalibus adſis;
Sortes pande ſacras; laus hæc manet una laborem.

Vix fudit placido tales ex ore loquelas,
Cùm Medicinalis turbæ chorus oſtia læto
Cùm fremitu tangit. Vultu dat quiſque fidelis
Lætitiæ ſignum. Poſtquam fortiſſimus heros
Suſtinuit pugnas, imbres, varioſque labores,
Haud aliter victor, lætâ comitante caterva,
Ingreditur Stratos generoſo à milite muros.
Tum mea, jam ſocius, feſtivo murmure teſtor
Gaudia, pervadóque verenda ſacraria templi.
Mirantes oculos rerum pulcherrimus ordo
Occupat. Octonæ tabulata ſuprema columnæ
Suſtentant. Zophorus variis, aptíſque figuris
Signatur. Gratâ inſomnis ſub imagine galli
Pingitur attenti vigilantia cauta medentis.

Haud procul infeſtæ volucres bubonibus atris
Finguntur: tortúſque minas draco jactat inanes.
Contemplatores oculos hùc fige; decoras
In loculamentis ſtatuas ſpirare putares.
Apparent Phæbi redimita ſalubribus herbis
Tempora: frons hujus fugitivis fortior annis
Perpetuo gaudet vernantis flore juventæ.
Stant ex adverſo concordia numina, ducto
Stamine fatiferos circùm volventia fuſos;
Penſa trahunt longorum atropos, clothóque dierum,
Dat Lacheſis primos, occluſo forcipe, riſus.
Parte aliâ fauces Erebi Pæona petentem
Conſpiceres, ſtygiíque jovis ſqualentia tabo
Vulnera ſanantem; quamvis fremat impius heros.
Hìc miſeri natæ Prœti, jam mente ſolutâ
Gaudentes, texunt redolentia ſerta Melampo.
    Eccè ſilent omnes, defigunt lumina in artis
Parrhaſiæ divam, tenet hæc diagramma ſuperbum,
Quo grandes poſſent decorari fornicis arcus.
Cernuntur vitrei frondentia littora cydni,
Accedunt Darii pugnaces undiquè turmæ,
Magnus Alexander lecto jacet. Effera morbi
Vis mucrone quatit nigrantia limina mortis.
Exit mors, heroa videt, miratur, & hæret.

Æmathiæ populi lugent. Sine lege vagatur
Triſtitiâ fractus miles: tùm poplite flexo
Vir macedo votiſque deos, precibuſque fatigat.
Iſte vaporiferis tentat compeſcere fata
Ignibus; ille cruore pio pecudum imbuit aras.
Nuper tam metuendus, humi proſternitur enſis.
Impexi crines fluitant, fœdantur & ora.
Gloria nulla animos ſtimulat, non ulla cupido,
Ni rex ut valeat, vivat, per ſæcula regnet.
Ast animus refugit tantos meminiſſe dolores:
Triſtia nam renovant noſtri veſtigia luctûs.
Carolus, Hungarico ſtipatus milite, Rheni
Tranſgreditur ripas. Vicinas civibus urbes
Auſtriacus viduat, ſanctæ non præmia palmæ
Quærit, at innocuo pollutam ſanguine prædam.
Progeniti ſylvas inter, nutriti lacte luparum,
Indociles animis, duri certamine vaſtant
Alſatiam populi, corrumpunt jura pudoris,
Sacrilegis violant probris & numen, & aras.
Finge animo furias. Horum ſi nomina quæras,
Non homines, quædam genera ignorata ferarum.
Cenſeres, dictúque minùs quàm barbara viſu (*l*).
Hæc audit Lodoix, & adeſt velocior euro:

(l) *Pandoures, Talpaches, Croates.*

Marte furens frendet: ſitiens jam ſtringitur enſis.
Ecce lues orci rabidis è faucibus orta,
Opportuna lues, vitam miſerata nocentum
Irruit in pectus LODOICI, pectus amatum.
Liveſcunt ſubitò lauri victoris Yprarum.
Horrifico ſquallet luctu lacerata capillos
Gallia, velatur nigris victoria vittis,
Impia terrificam falcem mors concutit. Eheu!
Qualia ſingultans traxit ſuſpiria Gallus?
Gallorum veluti LODOIX tentaret amorem:
Vel quaſi communi regem, populúmque ſepulchro
Concludi ſineret fati ſuprema voluntas.
Præteriit tandem hæc ſeries funeſta dierum,
Extruxítque novi monumentum inſigne triumphi.
Cùm faciem texit cæcâ ferrugine Phœbus,
Purior emergit, membríſque ſtupentibus orbis
Uberiore manu diſpenſat ſpicula lucis.
Tùm ridet lætata novo natura calore,
Atque ſinum pandit priſcos oblita dolores.
Sic illum nobis doctâ Pictura tabellâ
Illuxiſſe diem finxit, cùm certa ſalutis
Spes avidis juvenem Pellæum contegit alis.
Ecce Philippus adeſt. Dextrâ Macedonius heros
Jam tenet incertum medicamen, & attrahit hauſtu.

Intereà in medicum morientia lumina flectit:
At commiſſa legit, relegit ſecreta Philippus,
Indignatur, inhorreſcit, frendétque legendo.
Haud procul optatæ celebrantur feſta Minervæ;
Undiquè thura focis ardent; jam nube repulſâ
Triſtitiæ, faciles teſtantur gaudia vultus.
Fortis Alexander morborum victor ad auras
Vitales remeat, regníque retractat habenas.
  Effigies tantas avido dum lumine luſtro:
Conticuere omnes ſubitò, Medicina profatur.
Eia agite, ô natæ, memores de pectore ſenſus
Erumpant. Celebrate deam quæ rebus in arctis
Attulit auxilium, atque operoſa ſacraria nobis
Vovit, eam veſtris celebrate laboribus, illam
Laudibus aſſiduis celebrate. Erit illa Sacerdos
Illius templi, quæcumque ſagacior auſu
Præmia pro tantis meritis majora rependet.
  Garrulus auditur ſonitus, natæque ſuſurrant
Inter ſe, ſuave hoc munus ſibi quæque peroptat.
Eminet inter eas gravis Anerotechnia, certat
Chymia, contendunt ſtudiis rivalibus ambæ.
  At ſic orſa tamen prior Anerotechnia. Noſtras
Componant lites pietas, Medicina, fidéſque:
Magna peto, ſed juſta, deæ ſed digna faventis.

In mediis templi gyris altaria ſurgant,
Plurima dilacerata meo cadet hoſtia cultro;
Hoſtia, quæ cunctis præſtantior artibus artis.
Humanum corpus dico: quæ machina tanto
Artifice, arte ſimul mirâ confecta, ſtupendâ
Ut vi ſtructuræ ſpiret, ſuſpiria mittat,
Parturiat, moveatur, eat, lætetur, alatur,
Auribus auſcultet, videátque oculo, ore loquatur.
Statica mirandos finxit doctrina labores,
Atque giganteas abſumpſit hydraulica vires;
Pneumaticuſque labor præclaras præbuit artes,
Ut tam grande ineat portentum lumina vitæ.
Ergò Mathematico divam venerabor honore,
Quæ variis operum in ſtudiis eſt tota matheſis.
Corpore ab humano quamvis accerſat honeſtæ
Illecebras formæ, tectorum ſplendida princeps,
Corpus at humanum nova vectigalia ſolvet:
Scilicet & votis, ſtudióque litabitur illi.
Debita ſic dono, donum jungemus amori.
   Chymia riſit ad hæc, expectatóque reſolvit
Ora ſono. Procul hinc obſcæna cadavera viſu,
Chara ſoror, remove, dixit. Fera mortis imago
Incutit horrorem: minimè terrore coluntur
Numina. Putreſcentem etiam propelle mephitim:

Delectatur olens tantùm Gorgonius hirco.
Aſt ego jucundo thuris dignabor honore
Templa deæ. Nardus, Panchææ balſam agentis,
Dona Sabæorum, Nabathæi copia ruris
Perpetuo current rivo, fluctúque ſecundæ
Allambent divæ plantas, frontémque rigabunt.
Thymbra, thymus, violæ, laurus, roſa, lilia, mentha.
Huic Zonas molles component, ſerta, corollas.
Nec ſatis eſt aurum, argentum, ſapphirus, ïaſpis,
Quæque per undarum tranantur flumina, quæque
Per cœli tractus volitant, & condita terræ
Viſceribus, noſtrâ facundos arte labores
Experientur, & ornabunt altaria divæ.
Sacra Dianæ arbos caſtas florebit ad aras,
Suppeditabit aquas luſtrales ſpiritus entis,
Ac elementari ſemper focus igne micabit.
Hæc placeant divæ nobis hæc templa dicanti,
Cælicolûm Regem immenſum quin iſta decerent.
Sic Medicina mihi tribuet ſacra munera veſtæ.
Ecquid? Ait reſecans humana cadavera numen,
Tu germana mihi pravos opponis odores:
Thura Deos minimè faciunt, ſed corda precantum.
Terribilem formam dicis, quæ plena ſtuporis.
Aſpice ut exiguo vegeti de corporis antro

Vitalis liquor excurrat, per membra ſagaci
Circuitu ſerpat, variíſque canalibus oras
Jam prætermiſſas repetat, dein flumina rubri
Venarum laticis communi fonte tumendus.
Aſpice parietibus textis circum undiquè tutam
Solertis molem cerebri; tenuiſſima ſerpunt
Vaſa, premunt, pulſántque ad ſecluſoria lympham
Mille canaliculis, curis jam mille paratam.
Undiquè nervoſum rimis genus omne dehiſcit,
Et minimas lymphæ partes abſorbet hiatu,
Dein has ad quævis microcoſmi puncta reportat.
Hinc omnis motus, ſenſúſque, hinc vita, calorque.
Haud ſecùs ad vaſtum tendens radicibus orcum
Exſugit Platanus ſuccum telluris opimum:
Multa laboratos humores anthlia tollit,
Innumeris ſpargit ramis, dat frondibus eſcam.
At quid plura loquor? Deformia, putida cenſe
Quæque peritorum curas quaſcúmque virorum
Expoſcunt. Oculo doctus Ferrinus acuto
Detegit exiguæ ſubtilia ſtamina fibræ,
Corporis humani penitùs primordia pandit.
Plena cadaveribus luſtrat Winſlowius antra,
Luminibus tacitis humana interrogat exta,
Innumeros partis cujuſcumque explicat uſus,

Prodigiiſque gravem ſtructuram expromere tentat.
Ergò tui faſtûs, ſoror, argumenta ſileſcant.
Me decet huic ſancto ſolam dare jura ſacello.
Hæc in epiſtilio templi nunc verba legantur:
Hìc exangue jacet corpus, ſed corpora ab illo
Millia ad ætherias revocantur luminis auras.
    Frendet ad has divæ voces Pyrotechnia, vultum
Compoſuit placidæ ſimilis, mox talia dixit.
Argumenta, ſoror, valeant: ſis bellula; munus
Jucundi Ambroſiæ ſucci diffundat odorem;
Invidiæ ſtimulus minimè præcordia pungit.
Si vincam? Tantò fuerit tunc pompa triumphi
Splendidior nobis, quantò eſt animoſior hoſtis.
Præmia ſed promiſſa mihi poſſent nè negari?
Mortales docui magni primordia mundi,
Et rerum cauſas; quid ſit natura; frementes
Undè fluant venti; quænam reboantis origo
Fulminis; an Boreâ tellus concuſſa tremiſcat,
An vi fermenti, an propriâ virtute vacillet.
Parce mihi inſulſum lapidem objectare ſophorum,
Objice queis pretioſa Midæ exæquare talenta
Tentarunt, tantúmque Midæ æquavare figuram.
At potius dic quot, naturæ conſcia, leges
Inſtitui, certos uſus reperi, extudi & artes.

Heroas memora immortali laude ferendos.
Maluinum celebra, Burdeliníque decorum
Carminibus nomen toto cantetur in orbe.
Quid tantis addam titulis? ni ſæpiùs ardens
Prætulerim veſtris jubar ipſa laboribus. Ergò,
Perdilecta ſoror, ſaltem non jure minori
Alma ſacerdotis noſtrum caput infula cinget.
Hæque notabuntur templi ſub limine voces:
Omnia flamma necat, tamen hìc creat omnia flamma.
At quod inexpertum ſubitò ferit æthera murmur:
Eccè furit ventus, cœlum tonat omne fragore,
Nubila ſcinduntur. Curru ſubvecta ſuperbo
Oſtendit vultus ſancto ſplendore verendos
Caſta Themis: rerum fato prudentia major,
Relligionis amor, probitas comitantur euntem.
Inclyta virtutum circum volat undiquè turba.
Tæniolis oculi velantur, læva bilancem
Suſtinet, & gladio fulgenti dextra minatur.
Labitur illa polo, & vergens ad ſplendida templi
Atria adit frontem Medicinæ, mitibus illum
Ignibus inſpergit, ſubitóque remigrat ad aſtra.
Intereà Medicina, fremit, ſtupet, æſtuat, ardet,
Et longa optato ſermone ſilentia rumpens,
Veſtra placet nobis, dixit, ſtudioſa voluntas,

O natæ, vobis ſententia noſtra placebit.
Tempore ſemeſtri alterno regnabitis ambæ:
Cygnigeni quondam ſic regnavere gemelli.
Concedet meritam imperii tamen utraque partem:
Non veſter minuetur honos, quin gloria major
Accedet. Denſos propriâ ſol luce planetas
Colluſtrans ſimili ſemper virtute refulget,
Quin magis illius creſcit ſuprema poteſtas.
Idcircò tibi ſit Chirurgia fida ſodalis
O tu quæ varios humani corporis artus,
Humaníque ſagax rimaris corporis artes.
Túque vagæ moderans ſpatioſa volumina flammæ
Dulcia Pharmaciæ comitis non munera temne.
Accipite hoc pactum, & jurati fœderis illa
Marmore cælata æternum ſint carmina ſignum.
Quo caret igne cadaver, habet Pyrotechnia: morte
Sic nos illa docet, vitâ nos illa docebit.
Dixerat, extemplò nutu plaudente ſalutat
Tectorum præſes Medicinam, eademque dearum
Stipantem agglomerans turbam ſacra limina templi
Liquit, & in patrio caput occultavit olympo.
Intereà templi penetrale Vilarſius (*m*) intrat
Ut blandum fulgent oculi, placidæque renidet

(*m*) Elias Col de Vilars, ſub cujus Decanatu Amphitheatrum fuit reſtauratum.

Frontis honos: en ut mitem clementia vultum
Componit; generoſa viget ſub pectore virtus.
Ille eſt qui nuper furibundis hoſtibus ora
Frænavit, lauroſque novas collegit Iatris.
Hic vir hic eſt qui vota deis præſentibus ultrò
Obtulit, ut, Medicina, tibi pia thura darentur,
Atque interrupti reſtaurarentur honores.
Haud longè ſequitur fatorum victor, egentis
Auxilium præſens, hominum lumenque, ſaluſque,
Helvetius. Cingit venerandam gloria frontem,
Huic memor inſignem concedit Gallia palmam.
Hic parcas adigit Reginæ fila dierum
Aurea verſare, & verſare diutina cogit.
Vidimus hunc falci Libithinæ fortius ære
Scutum opponentem, & gallis pretioſa tegentem
Lilia. Proh ſuperi! nobis ni dulce tuliſſet
Auxilium, Lodoix ſtygias properabat ad undas.
Nunc etiam ſtarent tua propugnacula Furnæ;
Tu quoquè defenſum ſtares triplici arce Friburgum:
Hungaricæ nobis, regnante viragine, Turmæ
Multa minarentur, Galloſque in jura vocarent.
Ambo juſſæi veniunt, Aſtruccius artis
Cujuſcumque ſciens, muſarum dulcis alumnus
Procopus, incano ſcintillans crine Buretus.

En Falconetum rerum fandíque ſagacem.
Ut tantos Medicina viros conſpexit, in ulnis
Excipit amplectens, veróque indulget amori.
Tùm dea cœleſti ceu numine percita dixit,
Tantorum nobis erit indelebile nomen
Heroum. Vultus auro ſimulante decoras
Illorum ſtatuas huic templo affigite natæ.
Dicere plura parat cùm cœlo lapſus ab alto
Natalis genius ferventi è pectore Phæbum
Protinùs excuſſit, vatíque ſilentia juſſit.
Ilicet inſtantis genii mandata faceſſo:
Nempè reluctantem refugit vim liber Apollo.

FINIS.

N O T Æ.



1. ID eſt, Architectonice, ſeu Architectura, Græcè ἀρχιτεκτονικη. Quoniam hæc nomina nullatenùs verſuum Exametrorum menſuram recipiunt, ideò artifici declinatione illa declaravi. Undè ἀρχῆ τεκτονικη τέχνη, id eſt, præcipua ædificandi ars, ſeu Architectura.

2. Id eſt, quantitas quæ eſt modulorum ex ipſius operis ſumptione, ſingulisque menbrorum partibus univerſi operis conveniens effectus. Hæc definitio ex Vitruvio deſumpta eſt.

3. Sic ordinationem exprimit Vitruvius.

4. Has Architecturæ partes ſic carmine declarare potuiſſem.

Exindè à dextrâ veniunt Ichnographia, altos
Attolens vultus Ortographia, atque decenti
Menſurâ varios cogens Scenographia artus.

Magis compendioſa illa via eſt; ſed forſan tenellæ delicatioris Ariſtarchi aures dilacerarentur.

5. Id eſt Anatomia, Anatome, Antropologia. A carminis textu hæc verba exulant. Itaquè *Anerotechnia* ſcripſi, eâ tantùm ductus ratione quod ſicut apud medicos chymia dicitur pyrotechnia, id eſt, ignis ſcientia, nihil impedit quominùs Anatome diceretur Anerotechnia, ſeu ſcientia hominis.

6. Savotus & Peraltus Medicinam, & Architecturam tantâ decoraverunt famâ, ut haud abſurdum fore arbitrer ſi de iis verba faciam.

Ludovicus Savotus (*Louis Savot*) Auguſtodunenſis parentibus probis, at mediocri fortunâ utentibus fuit. In pago qui *Saulieu* dicitur natus. Lutetiam petiit ad Chirurgiam exercendam. Neſcio quo fato hujuſce artis pertæſus, & Medicinæ ſtudia amplexus Bacchalaureatûs gradum, cùm Magiſtro *Bouvart* archiatro, anno 1604, in ſaluberrimâ Facultate Pariſienſi feliciter adeptus eſt. Argentariâ inopiâ debitas Theſes anno 1609 tantummodò propugnavit, & anno ſequenti Licentiarum honore potitus eſt. Intereà libellos compoſuit, quorum alter *opinio nova de coloribus* (*a*) inſcribitur; alter verò tartari ſtybiati virtutem explorans dicitur Tetragônum (*b*). Galeni de venæ ſectione tractatum edidit tranſlatum præfixâ oratione, quâ oſtendit cur Pariſiis venæ ſectio ſit frequentior, exornatum. Quòd inter diſcipulos ſextum obtinuiſſet locum, ægrè tulit. Itaquè doctoratum repudians rerum naturalium inquiſitioni acriter ſtuduit, & tùm de fodinis, tùm de nummis, & numiſmatibus librum edidit.

(*a*) Lud. Savotii nova, ſeu veriùs nova-antiqua de cauſis colorum ſententia *Pariſ. Perier.* 1609.

(*b*) De tetragoni Hippocratici ſignificatione contrà Chymicos obſervatio. *Ibid.* 1609. *in-8°.*

Paulò poſt tractatum, *Architecture Françoiſe des Bâtimens particuliers*, titulo inſignitum conſcripſit, de novo ann. 1632, & curâ famoſiſſimi Blondelii ann. 1695 editum. Hoc opus utiliſſimum eſt. Methodo ſimplici ædium partes ſigillatim exponuntur. Architecturæ leges firmiſſimæ conſtituuntur, & vel ipſa vitii umbra annotatur. Præter hæc præcepta, plurima adhuc circà copias, modum, fundamenta, tempus, modulos, amœnitatem, parcimoniam, ſtatuta, ſenatûs decreta obſervantur.

Attamen recens Architecton Dominus *Bullet* in opere *Architecture pratique*, inſcripto ſavotum mordaciùs carpit. Quamvis ab illo Medico injuriam deffendere & propulſare non ferat animus, nullo tamen partium ſtudio abreptus cenſoriam Bulleti virgulam cenſoriâ noto virgulâ. Etenim ſua eſt cenſoribus obſervatio, quæ quidem ab auctore ſuprà dicto omiſſa fuit. Nam 1° Attento animo minimè perpendit Bulletus, ſavotum tempore minùs perſpicaci quàm hoc præſens ſæculum ſcripſiſſe. 2°. Savotus ea tantum modò quæ tunc erant in uſu indicavit. 3°. Forſan quidam adſunt errores: ſed quis non peccat? Ipſe Bulletus, cæteris omiſſis, Architecturæ Theoreticæ definitionem in ſuo prœmio allatam explicet. Si à quopiam hæc definitio intelligatur, tunc lacteſcent columbæ. Cæterùm ſavotus ſatis ſuperque laudatur à Blondelio Architectorum longè principe qui illius opera de novo edidit, correxit, amplificavit.

6. Claudius Peraltus (*Claude Perrault*) Regiæ Scientiarum Academiæ Doct. Med. Pariſienſis & Regis Architecton Primarius, Petrum Peraltum in ſupremo Lutetiarum ſenatu cauſidicum, ortu turonenſem, patrem habuit. Tres in orbe litterario inſignes à naturâ obtinuit fratres. Ad altiores litteras nata videbatur hæc familia. Tantis viris non fuit degener Claud. Peraltus. Et enim vaſto præditus ingenio non ſolum de rebus ad Medicinam ſed etiam ad Architecturam pertinentibus optimè conſcripſit. Tentaminum Phyſicorum quatuor volumina à ſe edita, in naturalem animalium hiſtoriam commentarii anatomicis ſectionibus intrà privatos Regiæ Scientiarum Academiæ parietes factis concepti, Architecturæ tractatus varii rem à me allatam certò certius probant. Quanto ſint in pretio tùm apud Phyſicos tùm apud Medicos illius opera, nemo eſt in re litterariâ tam rudis, & hoſpes qui ignoret. nocturnâ diurnâque manu illius verſant libros Architecti. Quid majus ab auctore quovis expectari, & deſiderari poteſt? Obſcuri plus æquo vitruvii interpretatio juſſu Regio ſuſcepta, doctiſſimis lcupletata notis & anno 1673, rurſuſque anno 1684 edita, non ſolùm apud gallos; ſedetiam apud exteras gentes, Peraltum commendavit. Brevì ſcientiarum juſti æſtimatores vitruvium alterum naſci intellixerunt. Reverâ quis, niſi omnium artium vitruvio per familiarium, id eſt, picturæ, ſculpturæ, muſices, mechanicæ ſimul & hydraulicæ doctrinæ peritiſſimus Vitruvium, ſeu auctorem tàm perplexum, eo modo poſſet illuſtrari, ut interpretatio Archetypum longè ſuperare videretur. Sed ſapientis animus nunquàm turgeſcit. Sui, tàmque decantati libri famâ minimè ſuperbiens tantus vir publicæ utilitati ſtudere ſolum modo meditabatur. Itaquè Vi-

truvium contraxit,ut compendiariâ,& faciliori viâ tyrones ad Architecturæ limina pervenirent. Librum anno 1683. *Ordonnances des cinq espéces de colomnes selon la méthode des anciens*, titulo decoratum edidit. Hoc opus cæteris de Architecturâ libris multò nitidius, & facilius esse nemonegaverit nam ubiquè primam naturæ legem, seu simplicitatem reperies. Variorum Architecturæ generum rationes, huc usquè variæ, constantes fiunt; sic in quovis ædium genere vel similes sunt, ut in tabulatis quæ semper duplici diametro ad altitudinem gaudent, videre est: vel differentiis æqualibus procedentes, ut in columnis, quæ in variorum generum serie, diametri tertiâ parte repetitâ augentur; & in stylobatis qui tantùm diametri parte tertiâ eâque unicâ extenduntur, annotamus.

Graphidos doctissimus erat Peraltus. Variæ adumbrationes propriâ manu delineatæ in spectandis studiosorum musæis asservantur eæque imaginibus in translati vitruvii libro reconditis, licet pulcherrimis, longè accuratiores estimantur. In componendo non minùs perfecta erat illius dijudicatio. Ipsemet Peraltus Percelebrem Luparæ frontem Ecclesiæ sub invocatione sancti Germani Altissiodorensis obversatam descripsit. Turrim astronomicam in agro Parisiensi excitavit. Superbum in pago à sigillis dicto sacellum erexit. Quid plura loquar? Optimis Architectis si non major, at saltem æmulus est Peraltus.

Quamvis intrà privatos parietes Medicinam tantùm exercuerit, id est, familiam, amicos, pauperes solummodò Medico adjuvaverit consilio: attamen celeberrimo Medicorum Parisiensium ordini fuit charissimus. In Scholis superioribus illius exactam effigiem inter Fernelii,Akakiæ, Riolani, Hammonis, Hecqueti, &c. Imagines locavit saluberrima Facultas Parisiensis. Omnibus flebilis & defletus tandem ann. 75. natus Parisiis occidit, die 9 mensis Octobris anni 1688. Nè vel minima laudis particula tanto viro detraheretur, opus posthumum an. 1700 vulgarunt; quod quidem nihil aliud est præter complexionem machinarum à Peralto inventarum.

ERRATA.

Epist. ded. Vers. 13. Sabandi, *lege*, Sabaudi.
Epist. ded. Vers. 23. queis fœcundo, *lege*, queis bene fœcundo.
Poëma Vers. 252. Carolus Hungarico, *lege*, Hungarico Carolus.
Vers. 335. meplitim, *lege*, mephitim.
Vers. 338. balsam agentis, *lege*, balsama gentis.



APPROBATION.

ILLUSTRISSIMI Cancellarii jussu, Amphitheatrum Medicum, Poëma manuscriptum accuratè legi : hoc opusculum Facultatis Medicæ Parisiensis assensu dignum, Typisque mandandum censui. DATUM Parisiis die decimo-quinto mensis Martii, anno Domini millesimo-septingentesimo quadragesimo-quinto. POUSSE, Filius.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre, à nos amés & féaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres qu'il appartiendra, Salut. Notre bien amé le Sieur * * * Nous a fait exposer qu'il désireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre : *Amphitheatrum Medicum*, *Poëma* ; s'il Nous plaisoit de lui accorder nos Lettres de Permission pour ce nécessaires : A ces causes, voulant favorablement traiter le Sieur Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer ledit Ouvrage en un ou plusieurs volumes & autant de fois que bon lui semblera, & de le faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le temps de trois années consécutives, à compter du jour de la date des Présentes. Faisons défenses à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangére dans aucun lieu de notre obéissance ; à la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles, que l'impression dudit Ouvrage sera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, en bon papier & beaux caractéres, conformement à la feuille imprimée attachée pour modéle sous le contre Scel des Présentes, que l'Impétrant se conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725 ; qu'avant que de les exposer en vente le Manuscrit qui aura servi de copie à l'impression dudit Ouvrage sera remis dans le même état où l'approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur Daguesseau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres, & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur Daguesseau, Chancelier de France ; le tout à peine de nullité des Présentes ; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir ledit Exposant & ses ayans causes, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement : Voulons qu'à la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin dudit Ouvrage, foi soit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission & nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires. CAR tel est notre plaisir. Donné à Versailles le douziéme jour du mois de Mars, l'an de grace mil sept cens quarante-cinq, & de notre Régne le trentiéme. Par le Roy en son Conseil.

Signé, SAINSON.

Registré sur le Registre XI. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, *N°.* 434, *fol.* 375. *conformément au Reglement de* 1723, *qui fait défenses Article* 4. *à toutes personnes, de quelque qualité qu'elles soient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres pour les vendre en leurs noms, soit qu'ils s'en disent les Auteurs, ou autrement, & à la charge de fournir à ladite Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris huit Exemplaires prescrits par l'article* 108 *du même Réglement. A Paris, le* 24 *Avril* 1745.

Signé, VINCENT, Syndic.